

gestum, factum, tractatum, procuratum et firmatum fuerit in premissis et quolibet premissorum et dependentium eorundem, generaliter, specialiter et expresse, ratum, gratum et firmum perpetuo habituros ad perpetuam roboris firmitatem. In quorum testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum.

Datum apud Nemus Vicennarum, die tertia februarii, anno Domini millesimo ccc^o quadragesimo quarto.

(*Sur le repli*): Per dominum regem in suo consilio.

Jorriz,
tripplicatum.

(Scellé en cire jaune du grand sceau sur double queue de parchemin).
Archives Nat., J 602, n° 41.

5

Clément VI recommande Jean de Vienne, archevêque de Reims, à la bienveillance d'Alphonse XI.

Villeneuve-les-Avignon, 14 mars 1345.

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri.

Cum sicut intelleximus, carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris, venerabilem fratrem nostrum Johannem archiepiscopum Remensem virum utique magne discretionis et probitatis maturitate peditum et in arduis expertum negociis et probatum, ad tue magnitudinis presentiam pro certis negociis providerit destinandum, eandem celsitudinem rogamus attente quatinus eundem archiepiscopum favorabiliter recipiens et benigne, ipsum placibiliter audias et habeas super expeditione negociorum felici hujusmodi, quantum cum honestate fieri poterit, commendatum.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis, ii idus marcii, anno tertio.

Reg. Vat. 138, n° DCCCLXXVII.

Lettres sur le même sujet, adressées à la même date:

A Marie, reine de Castille (*Ibid.*, n° DCCCLXXVIII);

à l'archevêque de Tolède (*Ibid.*, n° DCCCLXXIX);

à Ferrand Sanchez, de Valladolid, chevalier, conseiller du roi.

6

*Clément VI conseille à Alphonse XI de marier son fils
à une princesse française.*

Villeneuve-les-Avignon, 10 mai 1345.

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri.

Dudum cum status inferior nos haberet, morantes in partibus gallicanis et carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris consiliaritatis obsequiis tunc temporis insistentes, gaudentes et placibiliter admodum audivisse meminimus et scivisse utiles et honorabiles confederationes et amicitias initas inter te, carissime fili, et eundem regem invicem et contractas. Cum itaque hujusmodi confederationes et amicitie, velut honeste et accomode firmiter et fideliter ex tunc observate, quod delectabiliter referimus, extiterint hinc et inde, pro eis que corroborandis solidius et firmitus imposterum observandis, prefatus rex ad tractandum matrimonium inter dilectum filium nobilem virum Petrum primogenitum tuum et unam de filiabus dilecti filii nobilis viri Johannis ejusdem regis Francie primogeniti ducis Normannie invicem, actore Domino, contrahendum, suos nuncios ad tue celsitudinis presenciam duxerit destinandos, regalem tuam excellenciam attentius deprecamur quatinus bona innumera ex hujusmodi matrimonio, si Deus illud perfici dederit, proveniencia premeditans et intra pectoris claustra regii diligenter revolvens, ad illud mentem regiam favorabiliter et benivole dirigas et inclines. Et si nimis tenera et puerilis etas filiarum ducis predicti tue voluntatis in hac parte beneplacito, attenta etate adolescentiori dicti tui primogeniti forsitan repugnaret, velit tua sublimitas de quadam alia nata inclite memiore.. regis Navarre jam adulta satis et apta vel alia ydonea de domo et propinquo genere dicti regis assu-